

ratione præparationis: Vnum expressione fit, alterum ignis vehementia extrahitur seu destillatione elicitur. Expressione fit ex fructibus, vt oliuis, & iis vel immaturis, vel maturis.

Ex immaturis, satiuis tamen, expressum oleum omphacium dictum, ceteris oleis refrigerantibus, adstringentibus, roborantibus, præparandis, vt oleo rosac. oleo cydoniorum magis accommodatum est. Alterum vero maturum ex maturis baccis exprimitur, & oleum simpliciter, vel oleum oliuarum nominatur, quod laxat, digerit & mollit. Ad cuius similitudinem ex aliis fructibus, baccis & seminibus oleosis in mortario tritis, & vapore aquæ calidæ tepefactis sacculo inclusa, torculari subiiciuntur, vt per expressionem oleum purum effluat.

Hoc pacto conficiuntur oleum amygdal. dulc. amar. pistacior. nucum, baccarum iuniperi, lauri, myrthi, sem. lini, cannabis, papau. hyoscyami, cucurbitæ, melonum &c.

Destillatione vero eliciuntur ex liquoribus, succis, gummatibus, refina, cera, melle, lignis resinosis, aromatibus, seminibus, herbis. Fit autem vel per descensum, vel per ascensum: Per descensum elicitur oleum ex lignorum corticibus, vt oleum guaiacinum: ex lignis ipsis, vt ex ligno iuniperi: ex quibusdam etiam herbis aridis, item oleum e baccis iuniperi, à tartaro, oleum philosophicum dictum, quod & è lateribus nominatur. Alia vero per ascensum destillatione eliciuntur ex diuersis, quod aliqui spiritum, alii quintam essentiam nominant.